CATTIMELIBOCVM INFERIVS.

Situs. NOn absurdum fore arbitror Nassovio Comitatui Inferius *Cattimelibocum* subjungere. Iacet hic Comitatus inter fluenta Rheni, *Qualitas.* Ringaviam, Comitatumque Nassovium, montosus satis, sed quod incommodum naturâ plurimis donis rependit, quippe qui frumenti copiosum proventum habeat, vinique nobilissimi sit feracissimus, quibus majorem gratiam adhuc addunt acidi hinc inde fontes. Montes, de quibus paulo ante, accolis *Hunnsruck* vocantur, Latinis *Hunnorum juga*, quo sub Attila Rege diversa in hisce locis castella constructa annales produnt.

Arces & oppida. S. Goar. Arces & oppida, ut & vici perampli in hoc Comitatu multi sunt, ut est, *S. Goar*, oppidum primarium trans Rhenum situm, quod nomen à pio quodam & sancto viro Aquitano, *Goar* nominato appellationem derivat, qui temporibus Hildeberti & Sigeberti Regum Galliæ, anno 570 templum ibidem exstruxit, ac in eo docuit. Hodie certe illo oppido ad Rhenum nullum celebrius hac de causa, quod omnes novitii, qui Rhenum subvecti Francofurtum prima vice tendunt, sacris quibusdam sed ridiculis initientur, & ex Iudæis, ut tunc vocantur, Christiani fiant, abluti ordinarie vino, & torqui æreo colla indentes Paulo infra oppidum in sublimi montis culmine Arx *Reinfels* jacet, quam Dietericus I Comes Catt. ex Monasterio *Maneburg* dicto in arcem mutavit, anno 1245: at post novem annos vectigal ibidem constituit; unde factum ut iratæ vicinæ ad Rhenum urbes numero sexaginta, collatis viribus quasi ad commune restinguendum incendium, accurrerent, quorum impetus per annum & aliquot septimanas arx delusit, ita ut re infecta discedere & Comiti telonium solvere cogerentur. Cum dein anno 1623 inter Wilhelmum Landgravium Cassello-Hassiæ & Ludovicum Landgr. Darmstadio-Hassiæ controversiæ de successione inferioris Cattimeliboci ortæ essent, ex sententia Cæsaris, Comitatus cum hac adeo munita arce Ludovici interea mortui filio Georgio adjudicatus est in perpetuum anno 1626. Non longe abhinc ad citeriorem Rheni ripam, oppidulum *Geyerhusen* situm est, & supra illud in prærupta rupe arx *Novum Cattimelibocum*, ab incolis *Catz* vocata, & anno 1393 ædificata: hic Rhenus admodum angustus & profundus multos gurgites habet, ita ut multam aquam ibi amittere credatur. Paulo quoque ulterius pergenti occurret mons *Lorley*, qui quod multis foraminibus pateat, adeo resonabili Echo voces datas repercutit, ut plurimis explosionibus clamoribusque prætereuntes animum illa suum exhilarent. In extremo Cattimeliboci angulo offert se oppidum *Braubach*, cum adjacente arce Marcksburg, abruptæ rupi imposita, quam Landgr. Philippus Georgio Darmst. Landgr. certis pactis tradidit, qui illam renovavit & magna sui parte auxit: infra illam autem ad Rheni ripam Philippus Iunior Landgr. *Philippiburgum*, anno 1568 exstruere cœpit, quod anno 1571 absolutum. Diversi hic in vicinia acidi fontes inveniuntur. *Hohenstein* arx excelsæ rupi inædificata, in circuitu suo habet pervetustam arcem *Cattimelibocum* & vicum *Langen Swalbach*, qui propter scaturientes ibidem acidos fontes celebris valde & amœnus, quorum nobilissimus in valle vicina *Muntzebach* ferventi murmure & strepitu, colore claro & pellucido instar chrystalli æstate frigidus, hyeme vero tepidus erumpit, gratus gustui & generosiori vino apprime conveniens. *Gruna* olim Cœnobium, nunc in Xenodochium conversum, ex quatuor majoribus unum numeratur. *Reichenberg* arx structuræ admirandæ, anno 1270 à Wilhelmo III, Comite Cattimelibocensi more Asiatico non tecta, sed superne fornicata, duabus turribus condecorata est; imposita est prærupto saxo intus plurimis fornicatis cameris pervio: videtur tamen opus necdum perfectum esse, mortuo interea temporis Comite. Anno 1629 à Gallo-Wimaricis occupata & firmata præsidio, noctu à præfecto arcis Reinfels tacite adrepente recuperata est. *Labenstein* Arx ad confluentem Rheni sita, à fluvio Lano nomen habet; paret cum adjacente oppidulo Electori Moguntino.

COMITATVS DIETZ.

PRiscis temporibus Teucteros post Mattiacorum discessum hunc Comitatum cum *Veteres Incolæ.* Cattimeliboco & Ringavia incoluisse, & dein à Suevis & Cattis expulsos, Annales produnt; totamque hanc regionem à Cattis nomen accepisse, quod postea obsoletum, vel in alia recentiora commutatum est. Paruit hic Comitatus olim suis Comitibus, quorum ultimus Gerhardus duas tantum filias reliquit, quarum natu major Adolpho Nassovio Comitis Iohannis filio nupsit, & Comitatum in Familiam Nassoviorum transtulit: factum id circiter annum 1386: situs est *Situs.* ad utramque Lani ripam, solum habens fertile, multisque naturæ dotibus locupletatum, unde & olim Aureus Comitatus dictus fuit.

Nomen Comitatui dat oppidum *Dietz*, du- *Dietz.* plici arce in singulis saxis exstructa nitens, amœnissimo loco ad Lanum situm, multis undique egregiis cœnobiis cinctum, qualia sunt *Dierstein*, *Gnadenthal* & *Thron*, quæ anno 1628 Elector Trevirensis ad se traxit, sed anno 1632 & 36 ea restituere in Scholarum & Ecclesiarum usum coactus fuit. Sunt in hoc etiam Comitatu *Thermæ Embsanæ*, quæ Weisbadensibus Thermis longe præferuntur: *Camberga* & *Kirckberga* in modico, in Dietzano Comitatu oppida, à Comite Gerhardo anno 1355 & 57 ex vicis, quales ante semper fuerant, commutatæ, in medio Cœnobium Gnadenthall habent, de quo jam diximus.

Eodem ordine Rhenum versus apparent oppida *Idstein*, *Epstein*, & *Wisbaden*. Idstein arx & op- *Idstein.* pidulum eleganter in valle conditum, non vinetis sed fructuum proventu gaudet, Comitis Iohannis Nassovii sedes: vicinam habet arcem *Adolphseck*, quam Imperator Adolphus rotundæ & præaltæ rupi imposuit, circumcirca piscina cinctam; fossæ arcis ipsis rupibus incisæ sunt.

Epstein

Nordrhein-Westfälisches Staatsarchiv Münster
Kartensammlung
A 11 991

COMITATVS NASSOVIA.

Nominis ratio. NAssovia dicta est, quasi Nassgavia, quæ vox humidam & uliginosam regionem significat. Oppidum enim, quod ditioni nomen dedit, in colle est situm, cincto undique humidis campis Germanis autem *Nass* humidum, *Gaw* & *aw* ditionem significat. Sic Bat-aw, Batavorum terram notat; Thurgaw, regionem aridam; Rhenanam, Rhyn-gaw; laudatam, Brisgaw; honorandam, Ar-gaw; Orientalem & Occidentalem, Ostergaw, & Westergaw; fœno abundantem, Hengaw. Habet autem Comitatus iste plures alios sibi annexos, *Weilburgensem*, *Idesteinensem*, *Wiesbadensem*, *Dietzensem*, *Cattimelibocensem*, *Beilsteinensem*. Comites vero Nassovii Dilleburgenses terminantur Austrum versus Comitatu Wiesbadensi & Idesteinio: ad ortum Isenburgico & Solmensi cum Hassia: septentrionem versus Westfalia & Comitatu Witgensteinio: ad occasum Ducatu Bergensi & Comitatibus Widdano & Seynensi. Ambactus sive præfecturas habet multas, Freudebergensem, Sigenensem, Nephensem, Ferndorfensem, Hilchenbacensem, Hægeranam, Ebersbacensem, Dillenburgensem, Dringenslainensem, Herbornensem, Dridorfensem, Libenschidanam, Beilsteinensem, Longergensem, Eurichenhaynensem, Burbacensem, Marenburgensem, Rotsenhainensem, Rennerodanam, Heenensem, Dernereitanam, Hohnstettensem, Flachtensem, Dietzensem, Frickofianam, Zeutzheimensem, & alias complures. Censentur autem Comitatus isti inter liberrimos Imperii, utpote quorum Domini nulli addicti, nisi soli Imperatori, fruantur regalibus præeminentiis, & prærogativis omnibus, quibus præcipui alii in Imperio frui solent. Ius quoque habent cudendi monetam auream, argenteam, æneam: quod & factum à Iohanne Comite Nassovico, liquet ex nummis aureis, qui adhuc in hominum manibus versantur. In eorum parte una legitur, *Moneta Seygen*: in altera, *Iohannes Comes de Nassaw*. Cattimelibocensis Comitatus fructum percipit Hassiæ Lantgravius, titulo etiam ipsi cum Nassoviis communi, ex quo anno 1557, Philippus Hassorum Princeps cum Nassoviæ Comite transegit, adnumeratis ipsis sexcentis aureorum millibus, cedensque Comitatu Dietzensi: manentibus interea titulis communibus. Regio alibi in planitiem extenditur, alibi in colles adsurgit; alibi silvis horret, alibi vitibus læta, ut in Comitatu Dietzensi & ad ripam Lani; alibi pratis, pascuisque amœna est, aut fertilis segete, olere, legumine. Habet vero & fodinas metallorum haud ignobiles. In territorio quippe Sigenensi ex lapide ferrea quædam massa eliquatur, ex qua postea fornaces, ollæ, tubi, incudes, globi conflantur. In oppido vero & circumjacentibus pagis omnis generis instrumenta ferrea cuduntur. Freudenbergæ chalybs præparatur optimæ notæ, qui postea per universam Germaniam distrahitur. Sunt & similes fodinæ officinæque in tractu Dillenburgico, Hægerano, Burbacensi: in quo & plumbum eruitur, & cuprum, sicut etiam in agro Ebersbacensi, qui & vitriariam officinam habet. Silva præcipua est Westerwaldt, Her- *Silvæ.* ciniæ pars: minores, & veluti prioris illius segmenta, Kalteych, Heygerstruth, Schelderwalt, *die Horre*, *der Calmberg*, in quibus ad venatio- *Armen.* nem ferarum copia est ingens. Amnes præcipui sunt Lanus, Siga, & Dilla, qui singuli oppida alluunt non inamœna. Ad Sigam est Sigena, ad *Oppida.* Dillam Heigera, Dillenburgum, Herborna. Ad Lanum Dietza, Nassovium, Lohnsteinium, ubi Lanus Rheno miscetur. Thermæ Emsanæ Comitibus Nassoviis Dillenburgicis communes sunt cum Lantgravio Hassiæ. Eas ob occultam vim aquarum etiam longe dissiti adeunt, & experiuntur ut plurimum salutares. Aciduli fontes sunt Kodingæ & Cambergæ, quorum aquæ haustæ calculum pellere creduntur. Herbornæ Schola est illustris, fundata à Iohanne Comite Nassovico, anno 1582, quæ post decennium translata est Sigenam, ad quam tanquam ad virtutis omnisque eruditionis mercatum confluunt ex Germania, Polonia, Livonia, Dania, aliisque locis, permulti studiosi. Non est incelebris neque obscura ejus fama. Imprimis commendat regionem istam genius civium ad virtutem, constantiam, fortitudinem, tolerantiam, parsimoniam, liberalitatem, prudentiam, justitiam factorum. Statim à crepundiis imbuuntur pietatis semine. Exercentur etiam ad labores: mentiri, fidem fallere, pro immani scelere habentur. Hinc illa dictorum factorumque constantia. Nobilitas Nassovica imprimis libertatis amans, ac non suæ tantum, sed alienæ quoque propugnatrix est. Hæc Adolphum Nassovium olim, licet infelici fato, Imperatorem dedit. Hæc Belgis sub Hispanorum Imperio, dedit Gulielmum, postea Auransiorum Principem: inde Mauritium, Fredericum Henricum, Guilielmum II & III, complureque alios Comites, qui rem Batavam consilio & armis promovere conati sunt; inter viventes eminent Principes Guilielmus Frisiæ Gubernator, & Mauritius Vicarius hoc tempore Marchionis Brandenburgici, Principes pietate, prudentia, militari arte clari, omnique prædicatione majores.

Regionis facies.

Potestas summa.

Limites.

Germania.